



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 75. Biragus Præses Oenipontum Cæsarem salutatum profectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI. A C. 1563. risiensis Universitas non rejiciat Florentinum Concilium, quasi nullam haberet auctoritatem, aut legitimum non esset, sed unice ideo non revereretur illud tanquam Oecumenicum, potissimum eo nomine, quod ibidem non alii adfuerint Præsules, quam Itali, atque Orientales, qui ad initium hujus Synodi erant schismatici (*).

§. LXXV.

Biragus Præses Oenipontum Cæsarem salutatum profectus.

Pallav. c. 7. n. 3. Interea Biragus Præses, qui Oenipontum die decima tertia Junii ad Cæsarem profectus est, Cæsaream Majestatem suam adiit, ac pacem a Carolo IX. Gal.

(*) Hæc a Lotharingio fuisse probata ægre quis sibi persuadebit, nullus enim tantam Synodi Florentinæ ignorantiam in hoc Cardinale præsumet, ut illum ignorasse credat, quod in præfato Concilio etiam Franciæ, Burgundiæ, Hispaniæ, aliarumque Nationum Præsules, Doctores, & Oratores præsentibus fuerint, uti cuilibet horum subscriptiones legitime manifestum fit: si autem propter Orientales tum schismaticos hæc Synodus rejicitur a Gallis, quid erit de Basileensi, quæ usque ad exitum a schismaticis fuit celebrata.

Sæcul. XVI.
A.C 1563.

Galliarum Rege cum Calvinistis ini-
tam excusare nitebatur: postea vero di-
gressus ad articulum de Concilio in
Germaniam transferendo, cum hanc
translationem a pluribus desiderari di-
ceret, nullum non movit lapidem, ut
Cæsarem eo inclinaret, insuperhabita
Tridentinorum Patrum, imo ipsius e-
tiam Pontificis repugnantia.

§. LXXVI.

Cæsaris Responsum ad Præsidem.

Cæsar ad hanc sollicitationem hæc re-
posuit: „ Quantum ad pacem, de
„ qua differis, ipsæ conditiones sat mani-
„ festant, quod ad illam Regina Admini-
„ stratrix fuerit coacta, cum verisimile
„ non sit, eam alioquin ad ejusmodi pa-
„ ctiones descensuram fuisse: porro
„ translationi propositæ debui dissentire:
„ quandoquidem alibi ea opportunitas
„ mihi haud præsto foret tutandi Con-
„ cili, si illud in alio loco congregaretur:
„ præterea compertum mihi est, Luthe-
„ ranos nunquam ad Synodum conven-
„ turos, tametsi in centro Germaniæ ce-
„ lebraretur, nisi per indecoras condi-
„ tiones, & nunquam sine plurimo pie-
„ tatis detrimento concedendas: insu-
„ per si nunc ejus locus mutaretur, cum
„ recte progredi incipit, idem foret, ac
„ omnem fructum præcidere, quem sibi
„probi